

& Sinensibus. Conciliatur vetustissima rerum creatio, quæ exponitur capite primo Geneseos, cum hominibus Mexicanis quos non ita diu Columbus penetravit. Conciliatur eadem cum hominibus illis Australibus & Septentrionalibus, qui nondum cogniti sunt. Quos omnes, sicut & illos primæ & vetustissimæ creationis rerum, quæ enarratur cap. 1. Geneseos; probabile est creatos fuisse cum terrâ ipsâ in terris omnibus, neque ab Adamo propagatos.

Per hanc rursus positionem, conciliatur fides cum rectâ ratione, quæ non patitur ut statuamus Mundum natum his initiis, à quibus secundum Hesiodi computum, vix dimidia corvi unius ætas confecta est. Conciliantur demum hoc posito, quæ videntur contraria versibus his Apostoli, de peccato originis, in quo recumbit doctrina omnis Christiana; quod est maxime instituti nostri. Differam in aliud tempus probationes illas, quæ pro hac hypothese peti possunt, tum ex historiâ Geneseos, tum ex historiis Gentium, tum & nuper è lustratis terrarum populis. Quod verò instat peragam, & totus insistam Versibus his Apostoli, quos hinc explicare incipiam.

CAPUT IX.

Textus Apostoli. Analysis versus duodecimi. De imputatione peccati, & de regno mortis.

VERSUS XII. Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, per peccatum mors: ita etiam in omnes homines mors pervasit, in quo omnes peccaverunt.

XIII. Nam usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum verò non imputabatur non existente lege.

B 5

XIV. Re-